

THE
WORKS
OF
JOHN LOCKE.

A NEW EDITION, CORRECTED.

IN TEN VOLUMES.

VOL. X.

LONDON :

PRINTED FOR THOMAS TEGG ; W. SHARPE AND SON ; G. OFFOR ;
G. AND J. ROBINSON ; J. EVANS AND CO. : ALSO R. GRIFFIN
AND CO. GLASGOW ; AND J. CUMMING, DUBLIN.

1823.

C O N T E N T S

OF

VOLUME X.

	Page
CONTINUATION of Familiar Letters between Mr. Locke and several of his Friends	1
The Dedication prefixed to ' a Collection of several Pieces of Mr. John Locke, published by Mr. Des Maizeaux'	147
The Character of Mr. Locke, by Mr. Peter Coste: with a Letter relating to that Character, and to the Author of it	161
The fundamental Constitutions of Carolina	175
A Letter from a Person of Quality to his Friend in the Country; giving an Account of the Debates and Resolutions of the House of Lords, in April and May, 1675, concerning a Bill, intituled, ' an Act to prevent the Dangers which may arise from Persons disaffected to the Government'	200
Remarks upon some of Mr. Norris's Books, wherein he asserts P. Malebranche's Opinion of seeing all Things in God	247
A Letter to Mr. Oldenburg, Secretary to the Royal Society	260
Letters to Anthony Collins, Esq.	261
A Letter to the Reverend Richard King	298
A Letter to * * * on Dr. Pocke	299
Letters to the Reverend Richard King	305
Rules of a Society, which met once a Week, for their Improvement in useful Knowledge, and for the promoting of Truth and Christian Charity	312

	Page
Letters to Mrs. Cockburn	314
Letter to Mr. Bold	315
Letter to Mr. Clarke	320
Letter from Lord Shaftesbury to Bishop Fell	321
Letter from Sir Peter King to the third Earl of Shaftesbury	322
Observations upon the Growth and Culture of Vines and Olives: The Production of Silk: The Preservation of Fruits. Written at the Request of the Earl of Shaftesbury; to whom they are inscribed	323
A History of Navigation from its Original to the Year 1704	357
A Catalogue and Character of most Books of Voyages and Travels	513
Index	565

CONTINUATION
OF
FAMILIAR LETTERS
BETWEEN
MR. LOCKE,
AND
SEVERAL OF HIS FRIENDS.

CONTINUATION OF
FAMILIAR LETTERS

BETWEEN

MR. LOCKE,

AND

SEVERAL OF HIS FRIENDS.

Philippo à Limborch Joannes Locke, s. p. d.

CUM ante dies decem, ad amicum nostrum dom. Guenellonem scripsi, facilè credes quod te, V. C. non insalutatum præteriverim : verum mei officii, tuorumque beneficiorum ratio postulat à me aliam et salutandi et gratias agendi methodum, ne aut obitè, aut negligentè, id quod mihi maximè incumbit, agere videar. Præsertim cum Guenellonis nostri silentium me incertum reddat, an meæ ad ipsum pervenerint literæ, quas sane minime vellem intercidisse, ne vobis omnibus, quibus tot nominibus obstrictus sum, aut parum memor, aut parum gratus appaream, credatisque paucarum horarum intervallum ex animo meo tot tantorumque beneficiorum delevisse memoriam, quam nulla temporis diuturnitas unquam delere valebit. In iis etiam significavi, quam humaniter tuus Vander Key me excepit, quam officiosè adjuvit, quo nomine hic tibi gratias iterum agendas suadet viri istius summa humanitas, quanquam illud parum est, si cum maximo beneficiorum tuorum cumulo conferatur. Dom. Veenium et optimam illius foeminam, quibus salutem verbis non facile reperio, cum nulla sint, quæ aut illorum bene-

facia, aut eas quas habeo et semper habebō gratias æquare possint; tuis tamen rogo quibus potes verbis maxime ornes. Ut me hic ulterius pergentem detinuit valetudinis ratio, ad dom. Guenellonem scripsi. Amœnitas loci, et si non desidia, saltem quietis amor, et molestiæ, quam in itinere perpessus sum, aversatio adhuc detinet. Deambulationes hic, quibus quotidie prægressum ulciscor otium, valde jucundæ sunt; sed longe jucundiores forent, si aliquot vestrum expatiandi haberem socios, quod tam mei quam vestri causâ continuo opto, præsertim sic favente cœlo: nec enim credo sanitati incommodum esset, præsertim dominæ Guenelloni, cujus infirmis pulmonibus et valetudini parum robustæ prodesset maxime, credo, hic serenus et liber aër. Quid agatur apud vos, præsertim nostrorum respectu, ad me perscribas rogo; præsertim me de tuâ amicorumque nostrorum valetudine certiore facias.

Sum

Tui observantissimus,

Cleve, 28 Sept. 1685.

J. LOCKE.

Philippo à Limborch Johannes Locke, s. P. D.

DUAS à te, vir amplissime, officii et benevolentiae plenas hic accepi literas; nec ingratus tibi videbor, spero, si ad singula, prout oportet, non fuse respondeam, temporis angustia impeditus. Hoc unum enixè rogo, ut des operam, ut de adventu comitis Pembrokiae per aliquem tuorum amicorum Hagæ degentium certior fiat, transmissio eâ de re, vel ad me, vel ad te, nuntio. Dux copiarum Britannicarum futurus huc adventat, si jam non adest, quotidie expectatur. Meâ multum interest, ut quam fieri potest maturè illius accessum cognoscam. Hoc cum dixero, satis scio te omnem curam operamque in eo locaturum, ut quam celerrime id mihi innotescat. De aliis alias, nam tabellarius discedit. Amicos meos, nomine, quam officiosissimè quaeso, salutes. Vale, et me, ut facis, ama,

Tui observantissimum,

Cleve, 3 October, 1685.

J. LOCKE.

Philippo à Limborch Johannes Locke, s. P. D.

Vir Clarissime,

SI duabus tuis amicissimis epistolis parum, vel nihil, à me responsum est, id instanti tabellarii discessui imputes, rogo, nec credas me tam rebus meis intentum, tuæ vero consuetudinis et jucundissimi juxta ac doctissimi sermonis negligentem, ut omnia de meis negotiis, de tuis gratissimis literis nihil dicerem, nisi gravis aliqua subesset causa, cur de adventu comitis Pembrokiae, quam fieri potuit citissimè, certior fierem. Sed jam quo maximè propendet animus, ad te, vir optime, et scripta tua redeo, in quibus primo accuso amicitiam tuam de me et meritis meis tam magnificè, de vestris erga me officiis et beneficiis tam exilitè, loquentem. Hi sunt, fateor, magnæ et non fictæ amicitiae aliquando errores, de quibus ideo queror, ut mihi aliter de iisdem rebus sentienti ignoscas, et me credas amicitiae et gratitudinis dictata sequi, cum in eâ persistam sententiâ, aliqua me apud vos accepisse beneficia, quibus respondere verbis nec possim, nec debeam. Et nisi vos omnes in re, contra quam par est, voluntati meæ obstare viderem, tuam ego hic opem implorarem, ut hanc mihi velles eximere ægritudinem, et tuâ autoritate, quâ plurimum apud præstantissimum Veenium polles, huic querelæ tam justæ finem imponeres. Si quod videris promittere, sed heu! longum abest, his in collibus et sylvarum umbrâ, tuâ frui daretur et amicorum nostrorum consuetudine, crederem ego specimen aliquod aurei rediisse sæculi. Nam virtus, benignitas, pax et fides in sylvis solum degebant, quibus in urbanorum hominum frequentia vix datur locus. Sic cecinerunt poetæ: an aliquid aliud nos docent historici, hoc tempore non est mihi inquirendi animus. Gaudeo fratrem tuum convaluisse, et sine graviore aliquo symptomate. Locum illum epistolæ tuæ, ubi scriptorum tuorum memineras, non sine mœrore legi; sentio quantum ex discessu meo fecerim jacturam, et voluptatis et eruditionis, quod non legerim reliqua tua scripta, ex quibus non minorem mihi lucem promitterem, quam ex jam lectis, multo cum fructu, percepissem. Si vis ut sincerè et apertè

dicam, nullibi reperi opiniones magis dilucide propositas, argumentorum rationibus melius subnixas, a partium studiis longius remotas, et veritati per omnia magis conformes. Hoc me ex animo proferre dubitare non potes, cum me tam importunè, tam deditâ operâ, criticum tam paucis potuisse dentem malignum imprimere patet. Sed me miserum! magnam partem fructûs, quem ex istâ meâ criticâ severitate mihi proposui, perdi. Plurima enim, quæ inter legendum notaveram, non tam tui corrigendi, quam mei informandi, feci animo, de quibus tecum ulterius inquirendum statueram. Non est igitur, quod mihi tanto ardelioni gratias agas; satis est, si vehementi nimis inquisitori, et culpandi ansas studiosè quærenti ignoscas. Quanquam non malè pictæ tabulæ indicium est, si quis cogatur in eâ quærere nævos. Utinam quæ ego meditor, eo essent scripta idiomate, ut tu poteris vices rependere, reperires te ulciscendi copiosam materiam. Quod scribis de critici critico* facile credo; quamprimum enim attigi istum undecimæ epistolæ locum, videbar mihi audire obstrepentium exclamationes, quasi de religione omnino actum esset: nôsti hujusmodi hominum mores, quo minus heterodoxum aliquid possint refellere, ne nihil in causâ Dei agere videantur, tanto magis clamoribus, incusationibus, calumniis insurgunt. Fateor argumentum istud modestè proponendum fuisse, et cautè tractandum; sed tamen ejusmodi est, ut mereatur tandem summâ cum acribiâ discuti. Si omnia, quæ in sacris libris continentur, pro theopneustis paritèr habenda, sine omni discretionem, magna sane præbetur philosophis de fide et sinceritate nostrâ dubitandi ansa. Si è contrario quædam pro scriptis pure humanis habenda: ubi constabit scripturarum divina autoritas, sine quâ corruet religio Christiana? quodnam erit criterium? quis modus? adeo ut in hac quæstione, si quâ aliâ, maxime fundamentali, summâ cum cautione, prudentiâ, modestiâ agendum, præsertim ab eo cui, uti credo, jam non nimium favent ecclesiasticæ potestates et theologorum classes. Sed signa cecinerunt, et expectandus est confictus. Ego, qui ubique solam quæro veritatem, eam-

* Sentimens de quelques theologiens d'Hollande sur l'histoire critique du P. Simon.

que, quantum capere possum, sive inter orthodoxos reperio, sive heterodoxos, pariter amplector; fateor aliqua esse in eo scripto, quæ mihi plenè non satisfaciunt, alia quibus respondere non possum; de illis ab authore libenter responsum acciperem, si commodum existimas, de his tuum quæro judicium.

I. Ni fallor, author sæpius utitur contra apostolorum continuam inspirationem hoc argumento, quod scilicet multa ab illis dicta invenimus, quæ sine auxilio Spiritus Sancti dici poterant; quod tamen concessum, contra divinam sacræ scripturæ autoritatem et *θεοπνευσίαν* nihil concludit. Assertitur in s. scripturâ constans per omnia et infallibilis veritas. Si quid autem dicit sanctus Paulus Act. xxiii. (V. 241), quod cœlitus ipsi revelatum non erat, id nihil detrahit certitudini scripturæ, quandoquidem ejusmodi res esset, quam certò et infallibilitèr cognoscere potuit, sine revelatione divinâ. Quæ sensibus et certâ cognitione apostolis constabant, non opus erat revelatione, ut earum historia, ab apostolis tradita, pro indubitata haberetur. Itaque metuo ne homines suspicentur hoc argumentum potius quæsitum, quam è re natum.

II. Explicatio illius promissi Joan. xvi. 13. quam fusè tradit p. 256, nequaquam mihi videtur posse accomodari apostolo Paulo, si quis attentè legat illius historiam Act. ix. et seq. Unde enim ille evangelii hostis, et, ut ipse alicubi fatetur, ignarus, poterat tam cito devenire mysteriorum evangelii interpretes et præco, sine inspiratione supernaturali et divinâ? V. Act. ix. 19, 20.

Hæc aliqua eorum, quæ mihi inter legendum parum satisfecerunt, alia fuerunt, quorum oblitus sum: sed quid ad hæc dicat author libenter scirem. Verum cum plurima alia sunt quæ videntur omnimodam s. scripturæ infallibilitatem et inspirationem in dubium vocare, quibus fateor me non posse respondere, enixè rogo ut quid eâ de re sentias, mihi explicare non graveris: multa enim, quæ in libris canonicis occurrebant, jamdiu ante tractatûs hujus lectionem, dubium me et anxium tenuerunt, et gratissimum mihi facies, si hunc mihi adimas scrupulum. Cum summâ, quæso, amicitia, gratitudinis, et existimationis significatione, hanc inclusam hospiti meo optimo tradas; illiusque et

tuam et Guenellonis fœminam meo nomine salutes, reliquosque nostros omnes. Vale, et longas epistolas scribenti ignoscas, nam tecum loqui haud facile desisto.

Tibi devotissimus,

J. LOCKE.

Cleve, 6 Oct. 1685.

Philippo à Limborch Joannes Locke, s. P. D.

QUANQUAM longo usu ad alia hujus vitæ incommoda occalluit aliquatenus mens mea, à consuetudine tamen tuâ, vir doctissime et amicorum optime, me divelli, sine magnâ animi ægritudine, pati non possum. Tu enim me eruditione tuâ instruere, judicio confirmare, consilio dirigere, et amicitia et comitate solari solebas, quotidianum curarum mearum perfrugium: sed ita plerumque mecum agi solet, ut ubi et quibuscum esse maxime cupio, refragante fortunâ, rarò permissum sit. Devorandum igitur, ut potero, hujus absentiaæ tedium, quod frequentibus tuis literis levare debes, jam præsertim dum tempus et otium tibi permittunt adversarii illi, qui domi suæ prælia tibi meditantur. Hoc te in quo jam sumus sæculo expectasse non dubito. Si candidè, et ut veritatis amici argumentorum pondere tecum agant, tibi scio non displicebunt, qui veritatem amplecteris, undecunque venientem: sin iracundè, veteratoriè, malignè, paucis placebunt, nisi sui similibus; quicquid demum acciderit, hoc certum est, quod tu illæsus, victorque abibis, quia veritatem quæris, non victoriam. Sed ut verum fatear, ego à rixosis hujusmodi disputatoribus non multum expecto, qui in alienis convellendis, non suis adstruendis, quærunt gloriam. Artificis et laudem merentis est ædificare. Sed pugnaces hosce sibi et curis suis relinquamus. Si quid in B—— placidius et liberalius reperisti, gaudeo; pacificorum vellem quotidie augeri numerum, præsertim inter reformatos, inter quos nimium quotidie seruntur lites. Inimicus homo facit hoc. Alterius sunt indolis amici, quibus hic, te favente, familiaritèr utor. Uterque Grævius salutem plurimam tibi dicit. Verrynium sæpius quæsitum nondum domi reperi; hujus septi-

manæ dies aliquot extra urbem transegit; cum domum redierit, non diu insalutatum permittam. Vale cum tuâ tuisque, et me ama

Tui studiosissimum,

J. LOCKE.

Utrecht, 11 Oct. 1686.

Philippo à Limborch Joannes Locke, s. P. D.

Vir reverendissime, amicissime, colendissime,

SINE fati et ineluctabili prædestinationis vi experior in me ipso, quomodo peccandi initia quamdam sensim afferunt secum peccandi necessitatem. Literis tuis amicissimis 9 et 14 Febr. datis respondendi, quamprimum eas acceperam, ansam mihi eripuit rei alicujus agenda importuna tum festinatio. Sed cum, peracto cum eo quocum mihi res erat negotio, jam decessus illius in Angliam mihi fecerit otium, satis ad literas scribendas vacare mihi videor, nondum tamen nactus sum eam, quâ aliàs usus sum, scribendi libertatem. In hoc silentii crimen rebus aliis impeditus, quasi inscius incidi miser, quod jam tempore auctum penè confirmat pudor. Sic delicta delictis cumulamus semel irretiti, et modesti pariter et pervicaces in vitiis suis indurescunt. Vides quo in statu jam sum, et nisi credere me vis omnia certâ et immutabili necessitate evenire, negligentiaæ huic meæ ignoscere debes, ut redeat mihi antiqua mea apud te parrhesia. De Germanâ patrum theologia idem tecum planè sentio. Maxima semper fuit, semperque erit Germanorum natio, et pauci sunt in tantâ scriptorum multitudine, qui non videntur eo sub aère nati. Sed me hac de re à tuâ opinione non esse alienum, non multum miraberis. Aliquid amplius fateor est, quod ego numeros tuos secretos notaverim, et quod tu hoc observaveris. Cave tibi et ignosce quamprimum silentio meo, ne loquacitate tibi magis sim molestus, vides me in secretiora tua penetrare. ‘Scire volunt secreta domus’—et nôsti quod sequitur,—‘atque inde timeri.’ Magicæ hæ metuendæ sunt artes nimis perspicaces, quibus ego non parum mihi placeo, quandoquidem ex

tius me et compendiosius satisfacturum credo, si aliquas hęc illuc capiti xxi. inseram explicationes, quibus animi mei sensum negligentius forsan, vel obscurius traditum, clariorem reddam, adeo ut festinanti etiam, uti fit, lectori in posterum pateat, modo quę tradita sunt memoriã tenere non dedignetur. Hęc cum tu attente perlegeris, et cum reliquis, quę in isto capite exposui, contuleris, plene tibi satisfactum iri spero. Quod si quę postea tibi remanserint dubia, et aliqua restant, quę vel obscura nimis, quorum te fugit sensus, vel parum veritati congrua, quibus assensum præbere non potes, moneas rogo, ut aut te auctore corrigam, aut ulterius explicando, veritatem, suã propriã luce nitentem, tibi ante oculos ponam.

Si qua sunt in epistolã tuã, ad quę non satis distincte responsum à me credas, ignoscas rogo valetudini parum firmę, quę languidiorem me et ad scribendum minus aptum reddit. Quanquam spero ex annexis explicationibus, ex quibus mentem meam percipies, perspicuum tibi fore quid ad singulas dubitationes tuas respondi possit. Vale, vir optime, et, ut facis, me ama,

Tui studiosissimum,

J. LOCKE.

Oates, 19 Nov. 1701.

Joanni Locke Philippus à Limborch, s. p. d.

Vir ampliissime,

Quod lectionem tractatũs Episcopii de Libero Arbitrio tibi commendaverim, id eo fine non feci, ut viri illius auctoritate contra te utar; nihil minus: scio enim in sincerã veritatis inquisitione nullam valere auctoritatem humanam, sed tantum momenta rationum, quibus veritas adstruitur. Nec ego, licet Episcopii sententiam approbem, vellem illius auctoritate constringi, ut omnia, etiam quę, salvã principali veritate, in dubium vocari possunt, admittam, nedum phrasibus ac loquendi formulis ab ipso usurpatis alligari me patiar. Sed illius legendi tibi auctor fui, ut ex illo cognosceres, nos jam a multo tempore renuntiãsse illi sententię,

quę statuit animam intermediis facultatibus agere; sed asseruisse tecum animam immediate per seipsam intelligere ac velle. Unde cognoscere posses, quando communem loquendi usum secuti utimur vocibus intellectũs ac voluntatis, nos iis non intelligere facultates realiter ab animã distinctas; sed ipsas intelligendi ac volendi actiones, quas anima immediate ex seipsã elicit. Hoc ego etiam brevioribus verbis significatum dedi, in Theologiã meã Christianã, lib. ii. cap. xxiii. § 1, 2. Itaque si per incogitantiam, ex inveteratã consuetudine, mihi forte exciderit voluntatem esse liberam, rogo ut id meo sensu accipias, ac si dixissem actio volendi est libera, seu homo in eliciendã actione volendi est liber: ac proinde pro verbis meis, si tua libertatis definitio agnoscat, "certum est libertatem nullo modo competere voluntati," hęc substituas, "certum est actionem volendi neutiquam esse liberam, seu hominem non libere velle." Gratias interim tibi ago, quod inconsideratam hanc meam locutionem mihi indicaveris: ego annitar ut in posterum omnem ambiguum locutionem vitem, et ab insolitã loquendi consuetudine non abripiar; ne nulla in verbis meis sit obscuritas.

Libertatem ego definivi per dominium in actiones: quia vox dominii tibi explicatione indigere videtur, simplicius dico libertatem esse facultatem hominis actionem suam vel eliciendi, vel non eliciendi: qui alterutrum tantum potest, non est liber. Per actionem autem ego intelligo actionem quamcunque, etiam actiones internas intelligendi ac volendi: circa quascunque actiones non habet homo hanc facultatem eas vel eliciendi vel non eliciendi, sed alterutrum tantum potest, hęc non sunt liberę: et quia illi hanc facultatem tribuo circa actiones volendi, ideo eas liberarum voco: quando hac facultate homo destitutus est, libere nec vult, nec velle potest.

Utinam facultas esset coram tecum de omnibus his disserendi, et ex ore tuo plenior omnium, circa quę hæsito, explanationem audiendi; meamque sententiam, ac loquendi phrasibus distincte explicandi; non dubito, quin feliciter totam hanc quæstionem terminare possimus. Nunc etiam circa ea, quę explicationis gratiã

